

www.e-rara.ch

Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio XV. An possibile sit infinitum categorematicum?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

orem DEus creare non possit. sicut ergò à parte rei non est possibilis creatura, qua perfectior dari non possit, ita etiam DEus talem creaturam perfectissimam videre nequit.

Fundam. Sent. 2. DEus inter omnes creaturas posibles videt, quænam sit omnium perfectissima, & eam eo ipso quòd sit *possibilis*, potest actu producere; ergò possibilis est actualis creatura perfectissima.

QUÆSTIO XV.

An possibile sit infinitum categorematicum?

SENTENTIA I. Negans omne infinitum actu quoad *magnitudinem*, *multitudinem*, & *intensionem* in qualitate. ita Card. De Aguirre *d. 21.* Suarez *d. 30. metaph. sect. 17.* Joannes à S. Thoma *q. 15. Complut. disp. 18.* Maurus *lib. 2. q. 30.* Albertin. *de prædic. quant. disp. 4. q. 4.* Ortiz *tr. 7. conf. 2.* videatur etiam Wenzl *hic q. 3. & 4.* Babenstuber *hic a. 2. §. 3. & 4.* & alij plurimi.

RE-

FUNDAMENTA.

1. *Contra infinitam magnitudinem.* Implicat spatium actu infinitum, & tamen terminis clausum, ut patet ex terminis: sed si possibile esset infinitum actu secundum magnitudinem, possibile etiam esset spatium infinitum actu &c. ergò &c. *min. prob.* si daretur circulus infinitus, ejus circumferentia infinitè distaret à centro (quò enim major est circulus, eò major est distantia inter centrum, & circumferentiam) & illa distantia clauderetur duobus terminis positivis, scilicet centrò, & circumferentiâ; ergò daretur spatium actu infinitum, & tamen terminis clausum, h. e. finitum simul, & infinitum.

2. Duæ lineæ in puncto conjunctæ, & per modum pyramidis in infinitum, ut volunt Aa. fieri posse, protensæ, tandem inter se distabunt infinitè; si itaque DEus inter duas illas lineas ducat aliam lineam, spatium illud erit *infinitum*, & *finitum*: hoc est absurdum; ergò & id, unde sequi-

quitur. *maj. prob.* erit enim *infinitem* ob infinitam linearum distantiam, & *finitum*, quia clausum duobus terminis.

3. Si inter lineas in infinitum pyramidaliter protensas in basi ducatur linea, ea erit finita, & infinita; quod implicat, ergo lineæ illæ non possunt in infinitum protendi. *ant. prob.* erit infinita, quia ducta inter lineas infinite distantes. & non erit infinita, quia lineam sibi proximam finitam paucis punctis superat; *finitum* verò (pauca puncta) *additum finito non facit infinitum.*

4. Corpus infinitum non posset moveri; ergo non potest dari &c. *ant. prob.* non posset moveri motu recto, quia tanquam infinite extensum occuparet omne spatium; in quam ergo partem movebitur? non motu circulari, quia corpus illud infinite protensum infinite distaret ab alio corpore, circa quod moveretur, ergo distantiam infinitam percurreret tempore finito.

5. *Contra infinitam multitudinem.* si à DEO creari possunt infiniti lapides pal-

palmares , & fimul infiniti lapides bipalmares , poterunt ij duplici ordine, in uno palmares , in altero bipalmares juxta fe collocari ; quo facto fequeretur lineam lapidum bipalmarium tantæ fore magnitudinis , quantæ eft series lapidum palmarium ; quia infinita magnitudo lapidum bipalmarium in fe continet omnem magnitudinem.

6. Si poffunt à DEO creari infiniti homines actu , poterit quilibet eorum in unum cumulum conijcere lapidem, fibi concreatum ; hoc cafu cumulus lapidum illorum infinitiorum erit finitus , & infinitus : fed hoc eft absurdum &c. ergò. *prob. maj.* erit enim ille acervus *finitus*, quia exhauribilis , fi quilibet fuum lapidem refumat ; & *infinitus*, quia confans ex lapidibus infinitis , & quia ablatione finiti non confumitur infinitum.

7. Si daretur numerus infinitus , v. g. hominum , ille numerus effet numerus , & non effet ; effet , ut fupponitur ; & non effet , quia talis numerus non effet fub determinata specie

cie numeri; ergò nec sub genere numeri ùt sic; ergò non esset numerus.

8. Implicat unum infinitum esse majus alterò; atqui, si darentur infiniti homines, numerus infinitus capillorum, & digitorum esset major, quàm numerus infinitus hominum; ergò &c.

9. Datò numerò infinitò, numerus finitus erit ejus pars; quis enim neget in numero infinito includi centenarium? & non erit ejus pars; quia illud est pars, quo sublato tollitur totum, sed sublato centenario, imò quocunque numero finito ex numero infinito, non tollitur numerus infinitus, aliàs finitum additum finito faceret infinitum.

10. *Contra infinitam intensiõnem qualitatis.* Talis qualitas infinitè intensa non haberet subiectum sibi proportionatum, cùm implicet substantia infinita; adeoque nulli subiecto posset inhærere; ergò esset accidens, & non esset accidens.

11. Si daretur gravitas infinitè intensa, lapis deorsum moveretur in instante; quia velocitas motûs proportionatur virtuti motrici.

12. In-

12. Infiniti Angeli à DEO actu producti unà cum qualitate, seu vi motrice, in infinitum intensa, lapidem loco movere possent in instanti; atqui hoc repugnat, cùm motus fiat in tempore.

RESPONSA Aa.

Ad 1. Respondet Arriaga *d. 13. f. 1. n. 4.* neg. maj. ubi ait, posse unum infinitum in multitudine, v. g. aut magnitudine claudi inter duas unitates, vel duo puncta determinata. probatur, inquit, evidenter, quia inter hominem, & lapidem clauduntur infinitæ species animalium inæquales inter se (saltem possibiles) respectu quarum homo est ultimus, quia perfectissimus illarum, & lapis est primus, quia est imperfectissimus illarum. addit *rationem à priori. num. 6.* quia essentia infiniti præcisè in eo consistit: quòd ex uno termino, seu potius puncto, aut individuo, ad aliud successivè perveniri nequeat, eo quòd infinitè inter se distent. Idem sentit Compt. *d. 46. f. 8. n. 6.*

Ad

Ad 2. *Resp. 1. Neg. suppos.* scilicet DEum posse in fine illarum linearum ducere lineam transversam; quia illæ lineæ fine carent, consequenter DEus non videt, ubi desinant, sed quocunque loco assignato videt illas infinities, & infinities ulteriùs protendi. *resp. 2.* non repugnare infinitum claudi duobus terminis.

Ad 3. *Resp. 1. Arriaga cit. f. 4. n. 46.* quid huic argumento sit respondendum, nec sibi occurrere, nec vidisse in alijs, & malle se fateri, se non videre solutionem, quàm dare aliquam, quam nec ipse, nec ullus alius intelligat.

Resp. 2. Comptonus d. 46. f. 5. n. 12. neg. seq. ad prob. neg. suppos. quòd scilicet assignabilis sit linea finita, cui proxima sit infinita, excedens finitam paucis solum punctis. quin imò addit, non videri hujusmodi lineam à DEO, quia non potest à DEO videri, quod non est; unde quacunque lineâ finitâ assignatâ, dici nequit determinatè, quot lineæ interjaceant inter lineam illam finitam, & lineam aliquam infinitam,

consequenter nec dici poterit , quot punctis linea infinita superet finitam.

Resp. 3. Retorq. arg. Possibiles sunt duæ lineæ pyramidaliter in infinitum syncategorematicè protensæ , ut faterentur Aa. ; & has lineas ut possibiles DEus actu simul cognoscit. inter has ergò lineas DEus cognoscit possibilem aliam lineam transversam eodem modo infinitam , & quidem actu simul , & semel cognoscit. quibus positis sic argumentor : ista linea transversa erit infinita , quia ducta inter lineas infinitè distantes ; & non erit infinita , quia lineam sibi proximam paucis punctis superat. ecce simile omninò argumentum. quid respondent Aa. ? idem à nobis expectent.

Retorq. etiam argumen. in negationibus infinitis , & *in aternitate DEI* à parte ante , & parte pòst. de quibus vide Comptonum , & Arriagam cit.

Ad 4. Resp. 1. d. a. Non posset moveri motu *locali* , tr. motu *naturali* , & *physico* , seu motu *alterationis* , neg. ant. & conf. esset ergò corpus *physicum* , quia mobile motu *naturali* , seu alterabile.

Resp.

Resp. 2. Corpus illud infinitè protensum versùs orientem, & occidentem, posse moveri versùs septentrionem, & meridiem. quidni enim?

Resp. 3. Hurtado *cit. f. 2. f. 23.* corpus illud moveri posse per partes saltem, licèt non totum corpus simul, quod sufficit. consentit etiam hìc Comptonus *cit. sect. 5. n. 4.*

Resp. 4. Ulloa *d. 2. c. 4. n. 44.* corpus illud, infinitè extensum, fore ab intrinseco capax motùs, quia à DEO posset redigi ad spatium finitum, penetrando unas partes cum alijs, & tunc posset habere motum.

Ad 5. Negatur, lineam lapidum bipalmarium fore tantæ magnitudinis, quantæ esset linea lapidum palmarium. quia infinitum unum potest esse majus altero, ùt defactò constat in infinitis hominibus possibilibus à DEO cognitis, in quibus utique DEus plures videt digitos, quàm sint ipsi homines, & tamen non minùs homines, quàm digiti sunt infiniti. hinc

Insert Arriaga f. 4. n. 37. licèt in infinito sint infiniti binarij hominum,

& infiniti pariter quaternarij , esse tamen binarios duplo plures , quàm quaternarios.

Ad 6. *Neg. maj. & ejus prob. quo-*
ad 1. membr. rationem additam dist.
erit exhaustibilis ab hominibus in-
finitis , con. finitis , neg. si autem ali-
qui ex his hominibus infinitis tolle-
rent duos lapides , tunc tot alij nil
poterunt ex illo cumulo tollere.

Ad 7. Dicitur , non fore propriè
numerum ; non enim quævis multitu-
do est aliquis numerus , ut apparet
in multitudine possibilium , imposs-
ibilium , & negationum , inquit Bu-
hon tom. 2. d. 4. q. 4. c. 3. a. 1 ad 1.
quæ omnes numeros finitos conti-
net , neque ipsa numerus est ; ita eti-
am omnes numeri simul sunt multi-
tudo non numerabilis , nec numerus.

Ad 8. *Neg. maj.* Vide dicta ad 5.
& Arriagam cit. f. 1. n. 2.

Ad 9. *Resp. 1.* Numerum cente-
narium infinities includi in numero
infinito , & ita esse partem numeri
infiniti infinities sumptum. sublato au-
tem uno centenario non tolli , sed mi-
nui infinitum , nec tamen desinere ef-
fe

se infinitum , sed manere idem infinitum non *adequatè* , sed *inadequatè* , h. e. imminutum. unde potest *dist.* illud est pars *essentialis* , quo ablato tollitur &c. con. est pars *integralis* , &c. neg.

Resp. 2. Retorq. arg. Validissimè : Petrus possibilis erit pars hominum possibilium à DEO cognitorum infinitorum , & non erit pars. erit , quia est unus ex possibilibus , & non erit pars , quia eo ablato non perit infinitudo hominum possibilium. Respondeant hîc adversarij. vide Hur- tado *cit. f. 2. f. 29.*

Ad 10. Qualitatem posse divinitùs conservari extra omne subjectum substantiale , ut patet in Ss. Eucharistia.

Ad 11. *Resp. Comptonus cit. f. 5. n. 14.* motum à gravitate infinita productum , fore solum finitè velocem , quia implicat lapidem simul esse in duobus locis totalibus , quod fieret in motu locali instantaneo. *Arriaga n. 37.* negat etiam à DEO fieri posse motum localem per spatium divisibile in instanti.

Ad 12. *Neg. seq.* Quia nulla datur potentia ad impossibile : & si DEus non potest movere corpus per spatium divisibile in instanti, quantò minùs Angeli ?

Sunt adhuc aliæ difficultates in hac quæstione, quas invenies apud *citatos sent. 1.* & citandos *sent. 2.* inter quas & ista : si DEus produceret infinitos homines, & deinde ex illa multitudine unum subtraheret, residui essent infiniti, quia ablato finito infinitum non redditur finitum ; & non essent infiniti, quia ille homo subtractus ijs denuò posset addi ; atqui infinito nil potest addi. ergò.

Resp. 1. Homines illos residuos fore infinitos, pauciores tamen, quàm antea ; potest enim unum infinitum esse majus alterò, consequenter etiam infinito potest aliquid addi.

Resp. 2. Retorq. arg. omnes homines possibiles infiniti etiam sine Adamo erunt infiniti, quia ablatio finiti non tollit infinitum ; & non erunt infiniti, quia aliàs infinito posset addi aliquid, scilicet Adamus.

SEN-

SENTENTIA II. Affirmans absolute possibile omne infinitum actu, quoad *magnitudinem*, *multitudinem*, & *intensionem*. Ita Hurtado *disp.* 13. *sect.* 2. Arriaga *disp.* 13. *sect.* 4. Comptonus *d.* 46. *f.* 4. De Ulloa *Philos. natur.* *d.* 2. *c.* 13. & 4. Buhon *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 4. *c.* 3. & teste Comptono *l. cit.* plurimi ex RR. ; ait pariter Hurtado, hanc sententiam hac ætate multos viros doctos jure sequi. consentiunt ex parte Conimbric. *lib.* 3. *phys.* *c.* 8. Vasquez *1. p. d.* 26. Amicus *tr.* 18. *q.* 6. admittentes infinitum actu secundum multitudinem. Oviedo admittit infinitum in intensione qualitatis, & in multitudine Angelorum. vide eundem *contr.* 17. *punct.* 5. & Pontium *disp.* 14. *q.* 1. concedentem infinitum magnitudinis, non verò intensionis.

FUNDAMENTA.

1. Creaturæ possibiles sunt infinitæ; sed DEUS cognoscit omnes omnino creaturas possibiles simul, ergò cognoscit actu, & simul creaturas infinitas; ergò in mente divina ob-

jectivè simul existunt creaturæ possibiles infinitæ , ergò datur infinitum actu saltem in mente divina.

Confirm. Actus beatifici sanctorum futuri per totam æternitatem omnes actu existunt præsentés in æternitate : sed illi actus sunt infiniti ; ergò datur multitudo actu existens infinita , saltem in æternitate.

2. DEus potest producere omne illud , quod cognoscit producibile , & possibile , sed DEus cognoscit infinitas creaturas ut producibiles , & possibiles , ergò &c.

Nec dicas : DEum has creaturas cognoscere ut *successivè* producibiles , & ut faciunt infinitum syncategorematicum , non categorematicum.

Contra est 1. DEus cognoscit illas simul , ergò ut simul producibiles.

Contra est 2. DEus in hoc determinato instanti est æquè potens , ac toto reliquo tempore , & tota æternitate ; ergò , si *successivè* potest infinitas creaturas possibiles producere , etiam poterit illas simul producere , & sic facere infinitum actu.

3. Non

3. Non est ulla creatura ex omnibus possibilibus, quam hoc instanti DEus non possit producere; ergò potest omnes simul producere, dummodò inter se non sint metaphysicè oppositæ, ut notat De Ulloa *cit. c. 3. n. 22.*

Confirm. Una creatura non impedit, quò minùs altera simul cum ea producat, & existat, ergò DEus potest omnes simul producere.

4. Infinitum Categorematicum non involvit apertam contradictionem; ergò,

Confirm. Infinitas secundùm quid non est contra essentiam creaturæ; sed solum infinitas absoluta, excludens omnem dependentiam; ergò.

5. Dantur infinitæ negationes, & privationes rerum possibilium; ergò etiam dari possunt actu infinitæ formæ positivæ illis negationibus oppositæ. *cons. prob.* si enim non repugnat infinita multitudo negationum, cur repugnet infinita multitudo entium positivorum? in hoc argumento Comptonus præcipuam ponit vim.

6. Infinita magnitudo nec ex parte DEI, qui est infinitæ potentiae,

nec ex parte ipsius magnitudinis repugnat ; quia magnitudo non exigit certum terminum ; ergò potest esse infinita.

7. Non videtur DEO neganda potentia producendi lucem tam intensam , quàm producerent infiniti soles , si darentur ; sed hi producerent lucem infinitam , ergò potest DEus producere lucem infinitè intensam.

RESPONSA Aa.

Ad 1. R. 1. d. maj. Sunt infinitæ syncategorematicè , con. categorematicè , neg. maj. d. min. cognoscit eas simul ùt infinitas syncategorematicè , & potentiâ , con. ùt infinitas categorematicè , & actu , neg. min. & sub ead. dist. conf. neg. conf. existunt ergò creaturæ possibiles in mente DEI ùt infinitæ syncategorematicè , non categorematicè.

R. 2. d. min. Cognoscit simul , simultate se tenente ex parte cognitionis , con. simultate se tenente ex parte creaturarum cognitarum , neg. min. non ergò simul existunt in intellectu divino omnes

nes creaturæ possibiles *simultate ipsarum creaturarum*, sed *simultate cognitionis tantum*.

R. 3. d. min. Cognoscit omnes simul *collectivè*, & *per modum unius determinatæ collectionis*, neg. quia sic non possunt existere, ergò nec ut sic à DEO videri, qui videt res uti sunt: cognoscit omnes simul *distributivè tantum*, h. e. DEus simul ita cognoscit, ut non cognoscat unam creaturam post alteram, non tamen ita simul, quasi simul essent producibiles omnes, con.

R. 4. Transmissio infiniti in intellectu DEI, non propterea continuò admitti debet infinitum actuale secundum existentiam. nam creaturæ actuales infinitæ implicant contradictionem; essent enim infinitæ, & non essent infinitæ: econtra creaturæ possibiles sunt ipsa Essentia DEI, quæ *semper est una*, & infinita.

Ad Confirm. Resp. 1. Complutenses: licet actus beatorum præsentis sint æternitati, nihilominus sunt in se ipsis futuri; ergò etiam licet omnes existant actu in æternitate, in se ipsis
ta-

tamen sunt solum infiniti in potentia ; quia ejusmodi actualis præsencia totum id, quod habet de actu, emendicat ab æternitate ; & ideò non impeditur propria potentialitas , & successio.

R. 2. Joannes à S. Thoma : *d. min.* illi actus sunt infiniti , ut *contenti in aliquo infinito increato* , con. ut *positi extra aliquod infinitum increatum* , neg.

Ad 2. Dicitur breviter , DEum cognoscere creaturas possibles , ut producibiles , non simul , sed Synkategorematicè , & successivè ; & hoc modo potest eas producere.

Ad Contr. 1. Patet ex dictis *resp. 2. ad 1.*

Ad contr. 2. d. a. est æquè potens , ita , ut hoc instanti possit facere , quidquid potest facere , *distributivè* , vel *divisivè* , con. *collectivè* , omnia simul producendò , neg. nonnè & Petrus hoc instanti potest sedere , ambulare , stare &c. num propterea hæc omnia simul agere potest ?

Ad 3. *Neg. conf.* Non enim bona est argumentatio à sensu distributivo ad collectivum.

Ad

Ad Confirm. d. a. Non impedit ,
quò minùs altera simul cum ea pro-
ducatur *distributivè* , *aut divisivè* , con.
collectivè &c. neg.

Ad 4. Dicitur , si non *explicitè* , &
formaliter , sàltem *implicitè* , & *ex con-*
sequenti infinitum creatum involvere
contradictionem , quia ex eo seque-
rentur contradictiones suprà *sent. 1.*
allatæ.

Ad Confirm. d. a. Non est contra
essentiam creaturæ *directè* , trans. *in-*
directè , neg. quia enim omnis crea-
tura exigit produci , infinitum au-
tem , seu in magnitudine , seu in mul-
titudine , seu in intensione produci
non potest , ideò est contra rationem
creaturæ infinitas ; creatura enim de-
bet esse limitata.

Ad 5. Resp. 1. Neg. conf. vel dist.
possunt dari formæ ijs oppositæ *si-*
mul , & *semel* , h- e. actu infinitæ ,
neg. *successivè* &c. con. imò eo ip-
so , quòd actu dentur infinitæ nega-
tiones rerum possibilium , & eæ sem-
per dari debeant ob infinitam DEI
potentiam , eo ipso , inquam , verum
est.

est, & semper verum erit, non dari creaturas actu infinitas.

Resp. 1. Neg. ant. scilicet dari, aut verè existere negationes; sunt enim purum nihil, non entia; sicut autem non ens non habet esse, aut existere, ita nec habet unitatem, aut multitudinem, nec est unitas, aut multitudo.

Ad 6. *Neg. ant.* Repugnat ex parte DEI, quia ejus potentia per infinitum actu exhauriretur, & esset finita: repugnat ex parte ipsius magnitudinis, quia illa magnitudo esset quantitas determinata, ergò necessariò limitata, & finita.

Ad 7. *Neg. maj.* Aliàs sequeretur, DEum defactò posse producere hircocervum, quia hircocervus, si daretur, posset alium hircocervum producere.

Fundamen. princip. Sent. 1. Quia dari posset infinitum v. g. spatium, clausum tamen terminis; ut si circulus infinitus daretur; atqui hoc implicat. item deberet necessariò admitti, infinitum majus infinito, v. g. in infinitis hominibus, in quibus utique plu-

plures forent digiti, quàm homines. quod verò dicunt Aa. infinitas dari creaturas possibiles in mente divina, item infinitas negationes &c. responderetur has nihil esse, illas verò vel successivè tantum dari, vel esse idem cum essentia divina.

Fundam præcip. sent 2. Quia nulla ostendi potest aperta implicantia, & defactò dantur infinitæ creaturæ possibiles, & negationes &c. Infinitum verò clausum terminis non implicat, sicut & infinitum unum majus altero non implicat, cùm in se saltem sint infinita, etsi terminis clausa, vel minora alijs infinitis. idque patet in infinitis hominibus possibilibus, quos DEUS cognoscit singulos geminis oculis, manibus, pedibus instructos.

U.I.O.G.D.

IN.